UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Aprilis, Maii & Ivnii

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Abrahae Abbatis: Ex Ea quæ est per Gregorium Turonensem Episcopum. cap. 3. lib. Sanctor. Patrum. Claruit circa annum Domini 460.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42716

Visual Library

aquæ penuria laborantem fratribus inutilẽ cerneret, & omnia circumquaque loca perluſtrans, fruſtra huic malo remedium quæreret, fuſis ad Deũ precibus, ſemel ſcipione ſuo terrã percuſſit ſtatimque fons criſpantibus aquis largiter manans erupit; Quæ res loco nomẽ dedit, viro ſancto illum Criſpinium appellãre. Interim & nominis & ſanctitatis eius fama vbique diuulgata S. Martinus Papa prædicandi munus ei iniunxit; quod adeò nauiter impleuit, vt magnus quotidiè ex diuerſis partibus ad eum cõcurſus fieret. At ille cùm cerneret populi frequentiam diuinæ lucis radios multum impedire, quò minus mentis eius domicilium penetrarent, haud ita procul ab eo loco recedens, ſolitarium ſibi habitaculum delegit. In loco autẽ vbi fons Criſpinij in flumen influit, templum principi Apoſtolorum ſacrum condidit. Ibi verò non multò pòſt leni febricula correptus, fratres aduocauit, & in cinere ac cilicio iacens, aſtantibus (quos vndequaque ad Chriſtum adduxerat) chariſſimis filijs, animam bonorum operum floribus redimitam, Chriſto reddidit. Diſcipuli venerabile corpus multis cum lachrymis, quas deſiderium eius prouocabat, eodẽ in monaſterio honorificè condiderũt; vbi eius meritis & interceſſione multis ac ſtupendis miraculis clarum, requieſcit.

Fontem ſuis precibus impetrat. Criſpinium

Degit ſolitarius.

Moritur vir ſanctus in cilicio & cinere.

VITA S. ABRAHAE ABBATIS: EX EA quæ eſt per Gregorium Turonenſem Epiſcopum. cap. 3. lib. Sanctor. Patrum. Claruit circa annum Domini 460.

C. Baron. in not. martyr. Rom.

15. Iunij. Abrahæ patria.

ABraham ſuper Euphratis fluuij littus exortus, à puero pietatis operibus mirificè

deditus-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

deditus, adulta iam ætate, AEgypti ſolitudiues viſitare conſtituit. Eò autem cum tenderet, à paganis comprehenſus, & multis pro Chriſto verberibus affectus, in vincula miſſus fuit; in quibus annis admodum quinque exultans, tandem ab Angelo libertati reſtitutus eſt. Inde Occidentalem plagam religionis ergò luſtrare volens, Aruernos aduenit; vbi ad Baſilicã S. Cyrici monaſterium collocauit. Erat autem tantę virtutis, vt dæmones fugaret, cęcis viſum, & alijs quibuſuis morbis oppreſſis, ſanitatem reſtitueret. *Miraculis claret.* Cùm autem feſtiuitas ſupradictæ baſilicæ aduenisset, iuſſit Præpoſitum, populo qui ſolennitati intererat, cibum potumque miniſtrare, & vaſa vino plena, in atrio ex more componere. Monachus ea re offẽſus: Quid, inquit vix nobis quatuor vini amphoræ ſuperſunt, & vnde quęſo tantam populi multitudinem reficerem? At ille: Aperite, inquit, mihi penum. Quo aperto, ingreſſus eſt; & mox eleuatis cum inſita pietate ad cęlũ manibus, ac infuſis fletu luminibus: Domine Deus, inquit, ne deficiat, quæſo dè hoc vaſculo vinum, donec cunctis miniſtretur in abũdantia. Quo dicto, vinum adeò redundauit, vt populo ex eo abundè promeretur, neque tamen vel tantillum die altero minutum inueniretur. *Vinum precibus obtinet.* Ex hoc ſancti viri virtus in populis declarata eſt. Obijt autem in ipſo monaſterio, plenus dierum ac operum bonorum, ibidemque cum honore ſepultus requieſcit: cuius laudes Sidonius, tunc temporis antiſtes, elegãti Epitaphio proſecutus eſt. *Decedit è vita.* *Lib. 7. Epiſtola 17. ad Voluſianũ.* Ad huius autem beati Abrahæ ſepulcrũ, plerumque frigoritici decubantes, medicinæ cæleſtis præſidio ſubleuantur.